

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

CXLVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

CXLVIII. Quibus suppositis quæri potest de damnatis, partim in genere, an aliquid sint acturi? quod equidem nonnullos in superiore tractatione, quorundam dictorum auctoritate motos, quæ damnatos in modum virgultorum compactos, jacere in inferno, velut cadavera, asseverare videntur, inficiari vidimus. Quæ quæstio, & complures aliæ, ex eadem profluentes ex Lucæ decimo sexto capite, & recensitâ ibi à Servatore de divite epulone & paupere Lazaro, sive historiâ sive parabolâ, tanquam fundamento, & palmariâ omnis de actionibus damnatorum disputationis sede, decidendæ sunt. Itaque nova hic & maximi momenti exoritur quæstio: utrum historia an parabola ibi enarretur? Et quo pacto, sive hoc sive illud asseratur, singulorum verborum rerumque momenta intelligantur? Hinc enim, ut quilibet facile animadvertit, plerarumque in hoc argumento controversiarum compositio præcipuè deperdet.

CXLIX. Quâ generali controversiâ præmissâ, speciales succedunt: an aliquid intelligant damnati? an verò cruciatuum pondere pressi, neque meminisse præteritorum neque ad animum revocare præsentia, neque cogitare queant de futuris? Quantum de DEO, rebusque Divinis, quantum item rerum naturalium, & de quibus ex ratione informamur, cum tenebris corporis pariter & mentis immergi sint, capiant vel capere possint? An reminiscantur quidquam earum rerum, quas in præsentî vitâ gesserunt? An paulatim oblivio eos occupet rerum omnium, earum præsertim, quæ oculis eorum haud obversantur, cum præter supplicia sua, præter tortores Diabolos, præterque pænarum socios nihil in æternum neque videant, neque sentiant? An intelligant, justè se à DEO propter peccata puniri, quæ agnitio nec hoc seculo in contemptores cadit Numinis Divini? An præ dolore & anxietate sciant, quid agant? An ulli adhuc assentiantur veritati? An ament Deum, an verò perpetuò prosequantur odio? An invideant salvatis & in gloriâ constitutis? An blasphement DEUM & in cœlestis gloriæ hæredes opprobria & convitia janciant? An diligant semetipfos, an verò dentibus se & scelera sua discerpant? An affectu prosequantur alios damnatos? An oderint Diabolos?

F f

An